

METROS, de H
D 3

00
A
0





Freiherr v. Ende-Mitjessnitz.

Insp
Ac
Ac
Ac
Pac
Insp
An
A
A
A
H
d.

off
Ma
An
B



83. 3.12
Q. D. S.
RENATI DES CARTES
METAPHYSICAM
DIVINAM,

Disertatione Philosophicâ
examinatam,

PRÆSIDE
DN. JO. CHRISTOPHORO
ROSTEUSCHERO,

Phil. Prim. & Pract. Professore Ordinario,
& Reip. Bibliothecario.

Fautore suo & Studiorum Promotore æterno
animi observantissimi cultu suspiciendo,

IN
ATHENÆ I GEDANENSIS
AUDITORIO MAJORI

Solenniori disquisitioni exponit

JOHAN. SAMUEL LAURENTIUS,
Berol. March.

AUCTOR & RESPONDENS.

D. XVIII. Decemb. A. O. R. M DC LXXXVII.
Horis matutinis.

DANTISCI, Typis DAVIDIS FRIDERICI RHETII.

V I R I S

ILLUSTRI AC PER-MAGNIFICO

DN. GABRIELISCHUMAN,

Inclutæ Reip. Gedanensis Præ-Consuli, & h. t. Burg-
grafio Regio eminentissimo.

Ut &

NOBILISSIMIS, CONSULTISSIMO, EXPERIEN-
TISSIMO, PLURIMUM REVERENDO, AMPLIS-
SIMIS, SPECTATISSIMISQUE

DN. JOHANNI PEGELAUEN,

Nobilissimi Dicasterii in urbe primariâ Adfessori gravisimo.

DN. HENRICO MARTINI,

Medicinæ Doctore felicissimo.

DN. JOHANNI FALCKIO,

Ad Ædem S. CATHAR. Archi-Diacono meritissimo.

DN. JOHANNI HENRICO Schmidt/

Collegii Centumviralis Adfessori optimè merito, nec non
Antistiti ad D. Barbaræ dignissimo.

DN. CAROLO SALOMONI,

DN. JOHANNI GEORGIO ab HORN,

Incluti hujus Emporii Civibus ac Negotiatoribus
florentissimis.

*Dominis Patronis, Mœcenatibus, & Fautoribus suis ob-
servantissimi animi cultu suspiciendis ac devenerandis*

Dissertationem hanc Philosophicam cum ardentis-
simo omnigenæ prosperitatis votô

Submissè offert

JOHANNES SAMUEL LAURENTIUS,
Berol. March.

Universalis illa Scientia, quam Metaphysicam vocant, uti variam experta fortunam est, quam integro tractatu descriptam exhibuit πολυμαθὲς ἁλ. Thomasius: ita non minùs nomen Metaphysicæ ob incertam & ambiguam, quam sustinet, significationem, variè usurpatum, nec uni tantùm Scientiæ tributum esse comperimus. Vulgaris quidem & in Scholis nostris recepta doctrina est, designari eo nomine habitum illum Philosophiæ, qui in contemplatione abstractissimi conceptûs entis, descendendo saltem ad immediatè inferiora, occupatur. Alii ex adverso partem quandam subtiliorem Physicæ eo nomine insignitam voluerunt, quod imprimis placuit erudito inter Gallos Philosopho Jo. Bapt. du Hamel (†) Metaphysicam, sribenti, nihil aliud esse, quàm secretam quandam & longè à sensibus remotam Philosophiæ naturalis portionem; à quâ sententiâ nec omnino alienum se esse prodidit magnus ille languentis Philosophiæ restaurator Franciscus Baco, Baro de Verulamio (††). Aristoteles, vel certè ejusdem interpretes, Theophrastus aut Andronicus Rhodius, quibus prima nominis inventio tribuî consuevit, contemplationem substantiæ immobilis, i. e. DEI, hoc titulo imprimis ornari posse crediderunt. (†††) Quorum vestigia hac certè in parte premit etiam DES CARTES cum Assectis, ex quibus licet nonnulli vulgarem Metaphysicam, horribilem esse Scientiam, cavillentur, (††††) non desunt tamen, qui Ducem suum & Magistrum securi Cartesium (†††††) speculariones suas de DEO & animæ ab extenso corpore distinctione, Metaphysicam appellent. In quâ eorundem doctrinâ, cum multa occurrant, quæ & à communi, & simul veriori Philosophiâ recedunt longiùs, operæ pretium esse duximus, Cartesianorum Metaphysicam Divinam, relictis, quæ de Mente humanâ ibidem disputant, modesto examini exponere, eâdemque occasione de DEO (faxit autem idem, ut omnia feliciter!) nonnulla commentari.

(†) Conf. Vet. & Nov. Philos. l. 1. c. 1. p. 5. (††) lib. 3. de augment. Scient. p. 90. edit. Francofurt. (†††) Conf. Philos. Altdorf. p. 319 & Dreierus in Philos. prim. p. 37. (††††) Vid. Poiret. Cogit. ration. l. 3. c. 10. p. 123. (†††††) Conf. Cartes. præf. ad Medit. & in Resp. ad 2. Object. p. 83. & Guillaume Wander Meditations sur la Metaphysique edit. Amstelod. Ann. 684.





Uæ solet in aliis Thematibus deducendis observari ratio, ut antequàm de naturâ ac essentiâ rei instituatür commentatio, existentia ejusdem primùm in scenam producatür, eadem à nobis de DEO in præsentis acturis negligi citra culpam posset, cùm creaturæ rationali DEum ex agnitione propriæ dependentiæ, & interno conscientiæ testimonio, nec non hujus universi intuitu infallibiliter cognoscenti, non tam probare fusiùs divinam existentiam, quàm nudè potius supponere conveniat. Vocat autem nos ad istiusmodi negotium in ipso statim limine *Cartesius* (a) qui veritatis per se notæ axioma in problema dialecticum, de quo dubitari, & in utramque partem disputari queat, convertere haud veretur. Contendit nimirum *Cartesius*, eos omnes, qui existentiam DEI evidenter demonstrare nequeunt, posse naturali ratione examinare, an sit DEus aliquis, atque ita intellectu suo de DEO dubitare. Quotquot autem hâc ratione de DEO dubitant, dummodò non intendant, in re tanti momenti velle pendere in dubio, sed hanc sibi dubitationem medium esse patiantur, ad claram distinctamque veritatis perceptionem faciens, rem putat facere omnino piâ & honestam, ut non peccare videatur, qui hunc intendens scopum, totam, quam de DEO habere potest, cognitionem ex animo summovet. *Cartesii* vestigia pressè sequuntur *Guillaume Wander* (b) & *Joh. de Raei* (c) qui eandem dubitandi rationem in hoc negotio, ut cognitionis veritatis & pietatis magnum fundamentum commendat. Qui autem mitiores ac modestiores videri cupiunt, vel *Cartesium* hâc ex mente *Sceptici* & *Athei* dicere observant, quo de confer. *Dn. Lochnerus* (d) vel certè dubitationem istam de DEO per suspensionem judicii interpretantur, quod faciunt

(a) *Princip. Philos. part. 1. num. 7. respon. 7. ad Obj. p. 87. & 92. & respon. 5. ad Obj. Gass. nec non part. 2. Epist. 10.* (b) *in Meditation. Metaph. Gallicè conscriptis.* (c) *In Diss. de dubit. corol. 2. & 3. citat. à Sweling. in Exercit. Apol. p. 18.* (d) *In Diss. de dubit. Cartesian. Thes. 29. & 37.*

ciunt imprimis *Claubergius* (e) *Christophorus Wittichius* (f) & *Petrus Allinga*. (g) Imò citatus modò *Allinga* repudiat cum *Coccejo* (h) vocem dubitandi, neque quæstionem ita informat: An liceat dubitare de existentia DEI, sed quo ordine assentiendum sit primæ illi veritati, DEus est (i) quod etiam *Abrahamus Heidanus* (k) aliique allegati à *Spanhemio*, (l) profitentur. Enimverò tantùm abest, ut album huic doctrinæ addamus calculum, ut cum iis omnino sentiamus, qui genuinam Cartesii ipsius sententiam, ceu absurdam, impiam & periculosam maximè pridem rejecerunt. Ecquid enim magis absurdum cogitari potest, quàm eo fine, ut veritatem certam obtineas, mentem in falsitatem velle conijcere, ut rectè observat *Gassendus*. (m) Deinde quo jure de eo dubitare licebit, quod Cartesii ipsius iudicio nobis innatum est, imò, quid ipsi Philosophiæ Cartesianæ eveniet, quæ hoc pacto omni nudatur certitudinis spe. Cùm enim per ejus placita nihil cuiquam possit esse certum, nisi præcognitâ DEI minimè fallacis existentia, hæc certe dubiè datâ, nihil unquam in ea erit indubium; si enim omnia cum DEO dubia, quâ obsecro ratione, & ex quo principio, primùm de Deo, mox etiam de rebus aliis evademus certi, optimè concludit *Gerhardus de Vries*. (n) Nec obstat, quòd Cartesius cum Assectis distingvat inter eam dubitationem, quæ spectat finem, & quæ spectat media, & eos quidem graviter peccare autumet, qui priorem dubitationem eligunt, eò, quòd incerti manere velint circa divinam existentiam, aliter autem iudicet de iis, qui dubitationem, tanquam medium perveniendi ad cognitionem DEI, assumunt. Graviter enim *Dn. D. Alberti* (o) monet, dubitationem hanc inter legitima media locum nullum posse invenire, cum nihil, quod contra conscientiam est, adhiberi possit ut medium perveniendi ad scientiam, multò minus necessarium medium dici queat, de quo vulgatus aliàs canon

A 2

loqui-

- (e) *In Dubit. Cartes. p. 95.* (f) *Theol. pacif. præf. p. 3.*
 (g) *Modest. Defens. p. 14. 15.* (h) *Opp. Tom. 6. Epist. 81. p. 82.*
 (i) *Conf. Erot. Illustr. Decad. 8. p. 222.* (k) *In Consid. p. 144. edit. lat.* (l) *In Epist. de novis. Dissid. in Belgio p. 66.* (m) *In Disquis. Metaph. adversus Cartes. p. 12.* (n) *Exercit. ration. 4. p. 30.*
 (o) *In Διπλῶν κάππυ sive Cartes. & Coccej. c. 2. §. 3.*



loquitur: Nemo potest velle finem, nisi & media velit. Quæ ratio etiam nobis militat, ut hanc methodum demonstrandi DEum impiam esse pronunciemus. Ecquid enim ista dubitatio, nisi in re seriâ nugari, & abuti termino dubitationis velimus, quàm temporarius Atheismus. Nec enim videmus, quid differentiæ inter Atheum atque illum, qui ad mentem Cartesii, totam, quam de DEO habere potest, cognitionem ex animo submovet. Quod enim Cartesius cum sectatoribus excipit, etiam nos, quotiescunque dormimus, aut aliud quicquam agimus, seponere in id tempus totam cognitionem, quam de DEO mens nostra habet, nihil omnino facit ad colorem aliquem Cartesiano dogmati conciliandum. Etsi enim pius aliud agens, vel dormiens de DEO non cogitet, & actualem de existentiâ divinâ intellectionem negativè non eliciat, servat tamen constantem animi propensionem & assensum quendam habitua-lem in hanc propositionem: DEus est, vel existit, ut istiusmodi homo nequaquam omnem, quam de DEO habere potest, cognitionem ex animo removeat, nec positivo mentis actu circa ejsdem existentiam assensum suspendat, quod ad Cartesianam dubitationem requiritur. Nec obstat, dubitationem esse brevissimi temporis, cum prima illa veritas statim se insinuet animo attentè philosophantis. Omnis enim impietas, etiam momentanea, qualis datur in motibus primò-primis, reatum secum trahit. Multò minùs aliquid ad probandam hanc methodum confert, quod ista de DEO dubitatio non extendatur ad praxin vitæ, quale quid imprimis urget *Dn. Swelingius* (p) comparationem instituens cum Medicis, qui multa in praxi supponunt & extra praxin eorum causas inquirunt. Judicium enim practicum sequitur theoreticum, ipsaque voluntas non nisi ea prosequitur, quæ sunt ab intellectu præcognita. Ubi ergo de existentiâ DEI incerti sumus, etiam de cultu DEI erimus tales, quem necessariò simul suspendemus, cum tamen quovis momento eum exigit moralis nostra dependentia à Creatore, ut probè annotat *Petrus van Mastricht* (q) & *Gerardus de Vries*. (r) Sed & periculosam esse

(p) *Exercit. Apol. p. 19.* (q) *In Gangren. Novit. Cartes p. 32.*
 33. (r) *Exercit. ration. p. 30.*

esse hanc Methodum prolixè ostendit *Jacobus Revius* (s). Væ isti Philosopho (non malè exclamat *Hermannus Giffernicht* apud *Swelingium* (t) illo temporis momento, si ipsi inter dubitandum inopinatâ morte anima eriperetur. At nec illud ferendum in Cartesianis est, quod rejectis evidentissimis à subordinatione causarum in infinitum usque neutiquam procedente, à Legis naturalis inscriptione & interno conscientiae testimonio, depromtis argumentis, ad ideam entis summè perfecti provocent, quam & sibi innatam ajunt, & ipsis sensuum objectis clariorem constituunt. Quanquam enim nos non negemus, cognitionem quandam existentiae divinae in nobis dari, per illius notionem mentibus nostris insculptam, ut loquitur *Jo. Baptista du Hamel* (u), talem tamen Ideam, qualem *Cartesius* (w) cum asseclis (x) depingit, de DEO formari non posse evidenter satis demonstrarunt *P. van Mastricht* (y) *Jacobus Revius* (z) *Gisbertus Voëtius* (aa) & *Gerardus de Vries* (bb) qui & argumenta pro innatâ Ideâ in medium afferri solita solidissimè confutarunt.

§. II. Ab existentia, ad Essentiam DEI declarandam, ulterius provehimur, quam, utut perfectâ, & secundum vulgares Logicorum regulas exactâ definitione, contra quam fortè sentiunt Cartesiani, idcirco notati à *Mastrichtio*, (cc) explicari non posse, lubentes fateamur, solemus tamen de DEO, & conceptum aliquem contrahibilem formare, & contrahentem, qui,

A 3

cum

(s) *Consid. Theol. Meth. Cartes.* p. 52. (t) *Exercit. Apol.* p. 19.
 (u) *Consens. Philos. Vet. & Nov.* l. 1. c. 2. p. 21. (w) *Part. I. Princip. Philos.* §. 17. 18. in *Medit.* 3. & in *Resp. ad 1. Obj.* (x) *conf. Joh. de Raei, Clav. Phil. nat.* p. 462. *Burmennus in Synops. Theol.* l. 1. c. 14. §. 10. seq. *Wittichius in Theol. pacif.* §. 132. *Abraham de Grav. spec. Phil. Vet.* p. 265. seq. *Claubergius de Cognit. Dei & Nostri, Exercit.* 5. §. 10. p. 35. seq. *Fabricius de la Bassacourt, Defens. Cartes.* p. 27. *Allinga in Erot. Illustr. Decad.* 8. *Erot.* 3. 4. 5. 6. à pag. 227. ad 254. (y) *Gaugr. Cartes. Sect. post. c.* 4. p. 208. 209. seq. (z) *Consid. Theol. Meth. Cartes.* p. 96. 97. seq. & in *Cartesimania vel Refut. Tobiaë Andreae, Sect. post.* p. 264. seq. (aa) *In sex Disp. de modis cognoscendi Deum, Ultraj. anno 65.* (bb) *Exercit. ration. Exercitat.* 2. p. 12. 13. (cc) *In Gangren. Cartes. Novitat.* p. 221.



cùm ejusmodi essentiale & proprium prædicatum sistat, quod ab intellectu nostro, veluti ratio quædam inferendi à priori, & radix reliquorum conceptuum apprehenditur, conceptus primò primus & proprius salutari consuevit. Resultat inde, recepta hæctenus in Scholis Philosophorum DEI descriptio; DEUS est Spiritus independens: in quâ verò Cartesiani videntur sibi invenisse, quod desiderare possint. Non placet primùm *Wittichio*, (dd) quòd DEUS dicatur Spiritus, cùm hoc nomine propriè aliquid corporei denotetur; v. g. ventus, corpora Chymica, & similia. *Wittichium* sequitur hyperaspistes ejus *Petrus Allinga*, (ee) itemque ante eos, licèt ex alio fonte, ut DEUM corpus esse extensum evinceret, docuit *Thomas Hobbes*, (ff) quem haud immeritò reprehendit *Gisbertus Cocquius*, (gg) cùm omninò ratio subfit, quæ propriè nomen istud convenire corpori tenuissimo, & impropriè substantiæ immateriali, demonstrat. Quin potius homonymica vocis Spiritus significatio inde oritur, quòd, uti substantia immaterialis per se & naturaliter in sensus non incurrit; ita etiam aer, aliaque corpora tenuissima, ex eadem ratione, quia sensus nostros fugiunt, æquivocè Spiritus salutentur. Nimirum $\pi\epsilon\psi\omega\tau\omicron\nu$ $\psi\epsilon\upsilon\delta\omicron$ Cartesianorum est, quòd DEUM omnium commodissimè definiri posse existimant per Cogitationem perfectissimam, sive, uti *Allinga* (hh) circumspicere magis loqui amat, per $\tau\omicron$ infinitum & perfectissimum cogitare. Conferatur etiam *Wittichius*, (ii) itemque *Abrah. de Grav*, (kk) & *Petrus Poiret* (ll) ex quo aliquot rationes, pro hac sententiâ facientes describit *Allinga* l. c. quæ verò omnes partim alienæ sunt, partim incertæ & falsæ. Quædam enim tantùm evincunt, DEUM actum esse omnium perfectissimum, maximèque purum, ipsamque cogitationem, planè, uti cætera etiam attributa, materialiter, & in sensu, ut loquuntur Scholastici, identico cum essentiâ divinâ convenire, quod & nos utrâque manu largimur, cùm omne, quod in DEO est,

(dd) *In Theol. pacif.* §. 195. p. 166. (ee) *In Erotem. Illustr.* p. 272. (ff) *In Leviath. part. 1. c. 12. pag. 56. & in append. p. 344.* (gg) *In Anatom. Hobbes.* p. 113. (hh) *In Erot. Illustr.* p. 263. (ii) *In Theol. Pacif. cap. 15. §. 207. p. 177.* (kk) *Specim. Phil. Vet. Lib. 2. c. 17. p. 296.* (ll) *In cogitat. Rational.* p. 66.

est, à parte rei DEUS ipse sit, atque hoc sensu æquè omnipotentia, cæteraque attributa in conceptu divinæ essentiæ materialiter involvantur, quàm iste cogitandi actus. Illud autem planè falsum est, quod ad cogitationem, quæcunque in DEO sunt, reduci posse existimat *Poiretus*, ipsamque sufficientissimum omnium divinorum attributorum fundamentum constituit, ex quo æternitas, sufficientia, independentia, felicitas, justitia, sanctitas, potentia, cæteraque prædicata omnia oriantur, adeò, ut inde DEUS potens, sanctus, justus, cæterisque perfectionibus præditus esse intelligatur, quia de hisce attributis omnibus indefinenter cogitat.

§. III. Non placet etiam Cartésianis, independentiæ conceptum, quem primum & quodammodo essentialém fecimus, DEO adscribere, maluntque pro eodem substituere τ esse à se, seu, uti *Burmannus* (mm) loquitur, aseitatem. Quod si eo sensu, quo aliàs à nobis etiam DEUS à se esse dicitur, intelligerent, tolerari posset. Recepta enim apud nos doctrina est, DEUM esse à se, sed negativè, i. e. non habere causam se priorem, nec esse ab alio, tanquam ab Efficiente, quo pacto non meram importat negationem, quasi etiam de nihilo eadem ratione dici possit, illud à se esse negativè, uti cavillatur *Allinga*; (nn) sed positivam simul perfectionem implicat, cùm eo ipso, quòd DEUS ens esse à se intelligitur, summus perfectionis gradus, & independens existendi modus DEO assignetur, adeò, ut hac phrasi, DEUS est Ens à se, intelligatur DEUS esse Ens, essentialiter existens, quocunque alio non existente aut sublato, prouti hunc loquendi modum explicat *Dn. D. Ostander*. (oo) Non putant autem Cartésiani ista sufficere: Unde *Burmannus*; (pp) Est verò à se, scribit, non tantùm negativè, verùm etiam maximè positivè: quamvis enim propriè sui causa esse non possit, illud tamen quòd nullam causam habeat, neque eà indigeat, non à nihilo, sed à summa essentiæ ejus perfectione & omnisufficienciâ profluit. Eundem loquendi modum probat etiam *Poiretus*, (qq) qui pro-

inde

(mm) *In Synops. Theol. L. I. c. 15. p. 96.* (nn) *In Erot. p. 257.*
 (oo) *In Colleg. Consid. Cartes. p. 89.* (pp) *In Synops. Theol. p. 96.*
 (qq) *Cogitat. Rational. l. 3. c. 4. §. 6. p. 100.*

inde DEUM causam appellare Identitatis suæ, sive Suitatis non veretur. Quamquam autem videatur nolle DEUM aperte appellare causam efficientem sui ipsius, & se abominaturum esse hanc sententiam, si eo sensu intelligeretur, fateatur *Allinga* (rr) atque ipse etiam *des Cartes* (ss) aliquoties alienum se esse ab hoc sensu testetur; videntur tamen illud magis ad declinandam dogmatis istius invidiam, quam ex animi sententiâ facere, cum ex Cartesianis *Groenewegen* (tt) expressè scribat, τ esse à se, denotare perfectissimum modum causationis, per quam ab æterno sibi ipsi causa fit propriarum virtutum. Imò ipse etiam *Cartesius* (uu) postquam hunc loquendi modum, in hoc negotio perutilem esse, atque etiam necessarium docuisset, palàm addit; non videre se, cur nomen causæ fugiendum, cum nulla major hujus nominis utilitas esse possit, quam si DEI existentia demonstrandæ inserviat. Id quod alibi (xx) ita confirmat, ut potentiam DEI se tam exsuperantem agnoscere doceat, ut planè sit causa, cur ille esse perseveret. Ex quibus manifestè liquet, Cartesianos non omninò à notione causæ abhorre in probandâ DEI existentia, quin potius voluntatem, quam aliàs omnis possibilitatis & realitatis causam periculosè satis constituunt, potentiamque divinam, causam velut aliquam, non tantùm efficientem, sed & conservantem divinæ existentia facere, contra omnem saniozem Philosophiam; cum omninò absurdum sit, perfectiones illas, quæ secundum nostrum concipiendi modum, rei essentiam jam existentem consequuntur, ejus radicem & causam veluti producentem facere, illisque prioritatem quandam, si non temporis, saltem naturæ ante ipsam essentiam rei tribuere, cum nulla causæ realis notio, nisi cum prioritate naturæ concipi, aut cogitari possit. Accedit, quòd cum DEUS à se positivè esse juxta Cartesianos dicatur, per potentiam & voluntatem suam, quam hoc pacto non nudè approbantem, vel simplicis complacentia, quod admitti fortè posset, sed & mensurantem, producentem ac conservantem, in ordine ad propriam

essen-

(rr) *Erot. Illustr.* p. 255. (ss) *Resp. ad Obj. 1.* p. 57. in not. ad *progr.* p. 189. & *Rat. more geometr. Dispos. ax. 1.* p. 88. (tt) *In Catech.* p. 131. (uu) *In resp. 4.* p. 130. (xx) *In respons. ad 1.* *Obj.* p. 57.

essentiam esse oportebit, quæri adhuc possit, unde voluntas & potentia positivam essendi rationem fortiantur? Si dixerint Cartesiani, & illas à se esse positivè, alias porro perfectiones divinas, quarum ope recensitæ esse illud positivum à se habeant, designare tenebuntur. Conferatur *Jacobus Revius*, (yy) *Mastricht*, (zz) *Gerardus de Vries*. (aaa)

§. IV. A Conceptu primo, qui veluti formale divinæ essentia constituit, ad conceptus secundarios descendimus, qui attributorum nomine veniunt, & de DEO enunciantur, non quidem per modum inhærentiæ, aut compositionis, sed ut perfectiones quædam, ipsam divinam essentiam inadæquatè afficientes, eandemque extrinsecè denominantes. Dispersuntur autem hæc attributa ratione modi efferendi communiter in positiva & negativa; ratione ἐνεργείας verò, quam præsupponunt vel præscindunt, in ἐνεργητικὰ & ἀνενεργητικὰ. Solenne etiam est ea dividere in communicabilia & incommunicabilia, respectu præsertim in Theologiâ naturali habito ad effecta attributis quibusdam divinis analogâ, quæ per communicationem κατ' ἀλλοποίησιν in creaturis, modo nobis conveniente deprehenduntur. Quid autem hîc Cartesiani? Abeunt hætenus à recepto loquendi modo nonnulli in eo, quòd conceptum rei essentialem & quidditativum, qui in definitione, rei essentiam explicante, poni solet, attributum & subjectum aliorum attributorum appellant, prouti hoc in *Wittichio*. (bbb) haud immeritò notavit *Mastricht*, (ccc) cùm absonum sit attributum aliquod concipere, quod non præsupponat essentiam & naturam quandam, cui attribuitur, illudque ultimum subjectum facere aliorum prædicatorum. Non placet etiam illis recepta hætenus proprietatum divinarum divisio, in communicabiles & incommunicabiles. Valdè eas improprie in DEO poni judicat *Burmannus*. (ddd) *Wittichii* autem iudicio (eee) incommoda &

B pericu-

(yy) *Meth. Cartes. Consid. Theol.* p. 121. seqq. (zz) *Gangr. Novit. Cartes. Sect. post.* p. 282. (aaa) *In exercit. ration. Exercit. 4.* §. 2. p. 32. 33. (bbb) *Theol. pacif. c. 10.* §. 120. p. 89. (ccc) *Gangr. Cartes. Sect. post. c. 7.* §. 1. p. 237. (ddd) *In Synops. Theol. l. 1. c. 19.* §. 16. p. 111. (eee) *Theol. pacif. c. 10.* §. 194. p. 165.

periculosa videtur esse locutio, quem sequitur & tuetur quoque *Petrus Allinga*, (fff) præter illud vulgatum & satis hæctenus profligatum axioma: Propria nullo modo posse alteri communicari; illud præcipuè urgens, quòd mera repugnantia in re sit, unum attributum dicere communicabile, alterum verò non. Quam verò repugnantiam frustra omninò fingi, apparet satis ex vestigijs divinorum attributorum, vitæ scilicet, intellectûs, voluntatis, & similibus perfectionum, quæ in creaturis occurrunt, cum ex adverso de immensitate, æternitate, vel infinitâ essendi ratione idem dici nequeat, quòd in creaturis earundem vestigia reperiantur. Quid? quòd hac ratione propria vineta cædere cogantur Cartesiani, cum & ipsi cogitationem essentialiter & univocè DEO pariter, Angelis & animabus rationalibus convenire profiteantur, quo de latius differentem vide *Claubergium*. (ggg) Rejectâ autem absque causâ istâ divisione attributorum, ipsi quidem aliam substituunt, atque attributa divina dividunt in interna, quæ propriè duo sunt, intellectus & voluntas, & externa, quæ unicè sint denominationes externæ, relationes & negationes, quæ ad essentiam DEI internam propriè non spectent, sed ei tantum tribuantur in ordine ad homines aut alias res externas: Utut autem hanc divisionem suam faciat *Burmannus*, (hhh) & multis commendat ac defendat *Allinga*; (iii) tota tamen nititur receptâ eorundem hypothesi, quòd essentia DEI in sola cogitatione, duo ista complectente, Intellectum scilicet & voluntatem, consistat, quam, ut multis modis erroneam supra jam discussimus.

§. V. Inter Attributa, quæ vocantur negativa, locum facile primum obtinet Infinitas, quæ non meram in animo nostro impotentiam, uti quondam somniabat *Thomas Hobbes*, *Malmesburiensis Anglus* (kkk), refutatus idcirco à Cartesiano *Petro Poirot* (lll), & *Gisberto Cocquio* (mmm); sed positivam quandam in DEO perfectionem indicat, juxta quam divina essentia nullis omninò

(fff) *Erot. Illustr. Decad. 9. p. 268.* (ggg) *de Cognition. Dei & nostri. Exercit. 64. p. 198 & seqq.* (hhh) *Synops. Theol. Lib. 1. c. 19. §. 17. p. 111.* (iii) *In Erot. Illustr. p. 271.* (kkk) *Elem. Philos. de Civ. c. 15. p. 270.* (lll) *Cogitat. ration. c. 5. p. 65.* (mmm) *In Vindic. pro Relig. in Regno Dei naturali p. 99.*

omnino circumscripta limitibus, tantæque excellentiæ esse intelligitur, ut nulla cogitari possit perfectio, quæ non intra finem essentiæ divinæ, si non formaliter, attamen eminenter concludatur, secus ac se res habet cum finitis creaturis, quæ, cum essentiam certis definitam terminis habeant, pluribus perfectionibus destituuntur. Quanquam autem prius illud nobiscum fateantur Cartesiani, in eo tamen à communi doctrinâ abeunt, quòd præter infinitatem DEI, aliam etiam mundo tribuunt, eundemque nullis omnino limitibus circumscribi docent. Expressè *Cartesius* (nnn): cognoscimus præterea, scribit, hunc mundum, sive substantiæ corporeæ universitatem nullos extensionis suæ fines habere: & alibi: (ooo) Sufficit, quòd non habeamus rationem, quâ possumus probare, quòd habeat limites. Subscribunt huic sententiæ unanimi consensu *Wittichius* (ppp) *Burmannus*, (qqq) *Antonius le Grand* (rrr) alique. Non audet tamen *Allinga* (sss) hanc sententiam de possibilitate corporis infiniti suam facere, etsi non omnino eandem improbet. Equidem & illi, quos antea recensuimus, nolunt videri infinitum mundum adstruere. Unde *Cartesius*; (rrr) nos illa omnino, in quibus sub aliquâ consideratione nullum finem poterimus invenire, non quidem affirmabimus esse infinita, sed ut indefinita spectabimus. Enimverò, non esse hæc verba cautelæ necessariæ, ut vult *Cartesius* (nnn), sed affectatæ tantum modestiæ, & inania $\kappa\epsilon\gamma\sigma\phi\upsilon\gamma\epsilon\lambda\alpha$ facile intelliget, qui accuratius hypotheses Cartesii & Sectatorum excusserit. Ob mundum, quem statuit, vorticosum, non posse Cartesium aliter, quàm infinitum eundem adstruere, ex *Henrico Moro* ostendit *de Vries* (xxx). Ipse etiam *Cartesius*, plenius mentem suam edisserens, alibi ad *H. Morum Cantabrigiensem*, (qui (yyy) non quidem alienus est ab hac sententiâ, cum & ipse neget terminum mundi posse concipi, aliâ tamen nititur hypothe-

B 2

si,

(nnn) *part. 2. princip. num. 21. p. 31.* (ooo) *part. 1. Epist. 36.* (ppp) *Theol. pacif. p. 85.* (qqq) *Synops. Theol. l. 1. c. 41. §. 38. p. 282.* (rrr) *In Instit. Philosoph. Special. art. 1. num. 4. p. 398.* (sss) *Erotem. Illustr. l. c.* (ttt) *part. 1. princip. Philos. num. 26. 27. p. 28.* (uuu) *part. 1. Epist. 66.* (xxx) *Exercit. ration. p. 270.* (yyy) *In Enchirid. Metaph. c. 8. §. 8.*

si, DEum quippe ipsum vocans immensum, & immobile spatium, in quo materialia omnia continentur,) ita scribit: (zzz) Repugnat conceptui meo, seu, quod idem est, puto simplicare contradictionem, ut mundus definitus sit vel terminatus, quia non possum non concipere spatium ultra quoslibet præsuppositos mundi fines; tale autem spatium apud me est verum corpus. Quòd si verò ex mente *Cartesii* contradictionem implicat, juxta claram distinctamque ejus perceptionem, mundum esse finitum, fatebitur omninò, eum nullum habere finem, h. e., esse infinitum, cum inter finitum & infinitum nullum medium intercedat. Docent præterea *Cartesiani*, DEum non esse extra hunc mundum essentiâ suâ, sed huic mundo adæquatè coexistere; at si adæquatè mundus coexistit infinitæ essentiæ divinæ, oportet omninò eum quoque esse actu infinitum. Adde, quòd *Wittichius* (aaaa) mundum doceat nullam positivè figuram habere; at in quo nulla agnoscitur figura, in eo quoque nulli poterunt extensionis termini admitti, cum ex terminis, licet maximè protensis, dummodo finitis, non possit non certa aliqua figura oriri. Plura vide apud *Melchiorum Leidekkerum* (bbbb) *Petrum van Mastricht* (cccc) *Dn. Gerardum de Vries* (dddd) & *Dn. D. Osiandrum*, (eeee) qui rationes quoque pro hac infinita extensione mundi afferri solitas prolixè refutârunt.

§. VI. Ex infinitate divinâ resultat quoque DEI immensitas, radix & principium quasi virtuale omnipræsentiæ, quæ ab eadem in Scholis Philosophorum ita discernitur, quòd illa absolute inferat immutabilem prorsus, atque interminabilem ad essentiâ divinæ essentiæ in mundo & extra mundum (ubi nil, nisi DEUS, & DEUS in se ipso) absque omni coexistentiâ alterius; hæc relativè connotet creaturas actu existentes, quibus DEUS non tantum influxu virtuali, & immediatione, ut loquuntur Scholastici, virtutis; sed ipsius etiam substantiæ propinquitate immediate

(zzz) *part. I. Epist. 69. Dissert. 2. c. I. art. 19. p. 149.* (aaaa) *Dissert. 2. c. I. artic. 19. p. 149.* (bbbb) *In fac. verit. contro. 4. de Creatione p. 270.* (cccc) *Gangræn. Novit. Cartes. Sect. post. c. 20. p. 366. seqq.* (dddd) *Exercit. ration. Dissert. de Extens. Infinit. p. 248. seqq.* (eeee) *Colleg. Consid. c. 9. Th. 3. p. 181.*

diatè præsens esse intelligitur. Erit autem & hîc operæ pretium cognoscere, quantoperè ab hac doctrinâ recedant Cartesiani. Illi autem, præterquam quòd immensitatem etiam cœlorum spatio tribuunt, quòd facit *Burmannus*, (ffff) DEUMque negant extra mundum esse, quòd contribules suos adstruere fatetur *Allinga*, (gggg) non videntur satis ingenuè de substantiali DEI præsentia loqui, cum de essentiâ Divinâ negent, posse dici propriè τὸ esse ubique, aut in loco vel spatio repletivè existere, quòd totidem verbis asserit *Wittichius*, (hhhh) in eundem etiam sensum allegans *Heidanum*. (iiii) Putant autem omnem illam relationem DEI ad creaturas, quæ in conceptu omnipræsentia involvitur, unicè oriri ex intima operatione DEI in omnibus, adè, ut propriè loquendo omnipræsentia non notet præsentiam essentiæ, quam tamen neque cum *Vorstio* certo loco affigunt, sed operationem tantùm ubique se exerentem. Quòd patet ex definitione, quam suppeditat *Burmannus* (kkkk) omnipræsentiam DEI nihil aliud esse docens, quàm denominationem extrinsecam, natam ex operatione DEI, quâ in omnibus rebus corporeis agit & operatur, & propter illam operationem iis præsens esse dicitur. Fluit autem illud assertum ex receptâ hypothesi, essentiâ divinam meram esse cogitationem, ex qua deinde conficiunt, nullam dari propriam essentiæ relationem ad locum & substantialem ἀδιαστοσίαν, cum de cogitationibus dici nequeat, quòd præsentia sint, vel absentes. Expressè *Allinga* (lll) scribit, essentia DEI consistit in infinito & perfectissimo cogitare: istiusmodi essentia non potest propriè esse in loco; τὸ cogitare enim non est propriè in loco. Enimverò, quàm falsa sit ista hypothesis, supra evicimus, cum cogitatio nihil aliud sit, quàm operatio quædam substantia intelligentis, quam uti ab actione suâ, ad minimum in signo rationis, diversam esse oportet, ita in spatio, modo sibi conveniente, esse non repugnat. Subest tamen alia hîc quo-

B 3

que

(ffff) *In Synops. Theol. l. 1. Cap. 44. p. 281.* (gggg) *Eror. illustr. p. 198.* (hhhh) *Theol. pacif. c. 15. num. 208. p. 178.* (iiii) *Disp. de Attribut. Th. 2.2.* (kkkk) *in Synops. Theol. l. 1. c. 26. num. 12. p. 151.* (lll) *Eror. illustr. p. 295.*

que hypothesis, quam passim etiam inculcat *Cartesius* (mmmm) & *Poires*, (nnnn) locum scilicet, spatium, & omne ubi esse corpus, & τὸ in loco esse, proprietatem soli corpori propriam. Id quod tamen æquè falsum est, cum licet nullum omninò intra mundi ambitum detur spatium, quod non actu corpore extenso sit repletum, non tamen ipsum spatium, vel locus formaliter est corpus aliquod extensum, cum aliàs sequeretur, si spatium occupatum esset corpus, & occupans itidem corpus, corpus esse in corpore, atque penetrationem dimensionum dari. Conferatur prolixius contra hanc sententiam Cartesianorum disputans *Johannes Schulerus*. (oooo) Rectius itaque spatii nomine venit receptaculum, ut loqui ita liceat, existentiae rerum, ubi corpus aliquod trinà dimensione præditum esse potest, etsi actu non adsit, adeò, ut natura spatii non consistat, nisi in relatione quadam ad rem, quæ illud vel occupat actu, vel occupare potest. Equidem gravissimè in Cartesianos peccari, scribit *Allinga*, (pppp) si quis asserat, ipsos non concedere omnipræsentiā DEI per essentiam, cum illa, ut verissima ab ipsis præsupponatur. Enimverò, quàm verè ab ipsis præsupponatur, arguit præposterus ille atque inversus ordo, quem constituunt *Wittichius* (qqqq) pariter & *Allinga*, (rrrr) juxta quem primum locum in omnipræsentiā divinā tribuunt operationi DEI, alterum potentiae, tertium essentiae, & huic quidem non alio sensu, quàm quatenus actio divina, prouti activè & in DEO spectatur, nihil aliud est, quàm efficax & operosa DEI voluntas, quæ quoque est ipsissima DEI essentia, mentem suam ita explicante *Wittichio* l. c. Ex quibus patet, eos fundamentum omnipræsentiæ non in coexistentiâ, sive ἀδιαστοία intima & substantiali essentiae ad creaturas collocare, quæ nostra aliàs est sententia; sed tantum intra operationem formaliter concludere, atque essentiam divinam eò referre, saltem hoc sensu, quatenus actio in DEO cum essentiâ divinâ cæterisque attributis materialiter, & in sensu identico coincidit; quâ ratione etiam de sancti-

(mmmm) *Princip. Philos. part. 2. §. 11. p. m. 24.* (nnnn) *Cogitat. ration. p. 28.* (oooo) *in Exam. Philos. Renati des Cartes. c. 6. p. 29.* (pppp) *Eror. illust. p. 296.* (qqqq) *Theol. pacif. c. 15. §. 216. p. 186.* (rrrr) l. c.

sanctitate, bonitate, justitiâ divinâ, cæterisque attributis dici possit, ea ad omnipræsentiâ pertinere, quia materialiter, & à parte rei, essentiæ divinæ, omnique, quod in DEO est, identificantur, & tum inter se, tum ab essentiâ ratione saltem ratiocinatâ distinguuntur. Quod ipsum quàm incongruè fiat, facilè intelligi potest, cum in ratione formali uniuscujusq; attributi declarandâ, voces non materialiter, quâ ratione unum sunt, sed formaliter, & prouti juxta nostrum concipiendi modum abstractè concipiuntur, intelligendæ veniant. Ut nihil jam addam de inverso illo ordine, quem ipsa satis confutat ratio, cum prius omninò sit in signo rationis, adesse DEUM substantialiter creaturis, & potentiam habere operandi, antequam ille actu operari apud illas concipiatur, ut adeò primum in omnipræsentiâ divinâ momentum essentiæ, alterum potentiæ, & tertium denique actuali operationi nostro intelligendi modo convenienter adscribatur.

§. VII. Ex attributis, quæ vocantur, positivis, tria præcipuè hoc loco attendi merentur, in quibus explicandis à communi & in Scholis receptâ doctrinâ divortium fecerunt Cartesiani, intellectus scilicet, voluntas & potentia divina. Quæ proprietates, quanquàm confundi plerumque à Cartesianis soleant, ut ne rationis quidem distinctio inter illas relinquatur, prouti hoc in Cartesianis notavit *Melchior Leidekkerus* (ssss) merentur tamen accuratius discerni. Intellectus divinus, etsi omne verum unico ac simplicissimo intelligendi actu complectatur, cum nec per potentiam ab actu realiter diversam, nec per habitum essentiæ superadditum, nec per speciem intelligibilem, aut actum ab essentiâ realiter distinctum intelligat, pro varietate tamen objectorum & diversâ ab illa habitudine, ipse quoque nostro concipiendi modo ita variat, ut alia ejus cognitio naturalis, sive simplicis intelligentiæ; alia verò libera, sive visionis salutari soleat; quibus nonnulli adjungunt median, circa objectum positâ conditione, etsi nunquam in actum illa deducatur, futurum, quod futuribile barbarè appellant Scholastici, occupatam. Simplici intelligentiâ versatur divinus intellectus ante omne decretum liberæ voluntatis, tum circa semetipsum, tanquam primum Objectum; tum circa possibilia, è quibus

(ssss) in fac. verit. Loc. 4. p. 142.



quibus, quotquot ex statu meræ possibilitatis in statum futuritionis transeunt, illa demum post decretum voluntatis divinæ, ad minimum permissionis, cooperationis, quoad substantiam actûs, & gubernationis, divinæ visionis, quam vocant Scholastici, Scientiâ comprehenduntur. Voluntas autem divina, etsi omne bonum intimo amoris affectu complectatur, non est tamen iste divinæ voluntatis actus circa omne objectum indifferens, & quoad specificationem liber, cum quædam ita DEUS velit, ut contraria eorum velle non possit, atque objectorum quorundam moralitas ex convenientiâ vel disconvenientiâ cum divinâ essentiâ derivanda, antecedenter se ad decernentem DEI voluntatem habeat, ne utquam verò ex mero ejus & libero beneplacito descendat. Quod si jam cum hac doctrina comparentur, quæ tradunt novatores Cartesiani, facilè licebit judicare, quantoperè à veriori Philosophiâ recedant. *Wittichio* (tttt) enim non placet primùm iste ordo Objectorum, quem in divinâ scientiâ communiter observamus. Ad scientiam enim simplicis intelligentiæ solum DEUM refert, possibile verò æquè ad visionis scientiam pertinere existimat, cum possibile intellectus non omnem liberæ voluntatis actum, sed eum tantùm, qui de futuris est, præcedat. Disertè *Wittichius* (uuuu) & cum eo *Allinga* (xxxx) ante illam notitiam possibile debet concipi in DEO volitio istius possibilitatis. Res enim possibile, cum eo ipso habeant realitatem aliquam, dependent à voluntate divinâ, & propterea per consequens sunt possibile, quia eas DEUS possibile voluit. Eâdem ratione *Petrus Poires* (yyyy) ideò res possibile esse arbitratur, quia priùs ex liberrimo DEI decreto, quoad naturas, essentias, ideas, veritatesque suas stabilitæ sunt & ordinatæ. Quibus gemina sunt, quæ leguntur apud *Franciscum Burmannum* (xxxx) *Clanbergium* (aaaa) & *Spinosam*. (bbbb)

Funda-

(tttt) *Theol. pacif. c. 13. §. 200. p. 170. 171.* (uuuu) *l. c. §. 199. p. 169.* (xxxx) *Erot. illustr. Decad. 9. p. 282.* (yyyy) *Cogitat. ration. c. 13. §. 11. p. 147.* (zzzz) *in Synops. Theol. l. 1. c. 21. §. 20. p. 118. c. 22. §. 13. p. 123. seq. & lib. 1. c. 24. §. 12. p. 146.* (aaaa) *in prim. princip.* (bbbb) *part. prim. Phil. prim. Des Cartes. prop. 12. coroll. 2. & in Cogit. Metaph. part. 1. c. 3. Obs. 2. p. 101. seq.*

Fundamentum autem hujus doctrinae præbuit Cartesianis alia non minus falsa hypothesis, quam de voluntate divinâ fovent, cui circa omnia, quæ nullum Dei attributum involvunt, eas etiam veritates, quæ concernunt ideas, essentias & proprietates omnium extra Deum, omnimodam libertatem atq; indifferentiam satis periculosè tribuunt, uti videre est apud autores allegatos præsertim *Burmannum* (ccccc) & *Petrum Allingam*, (ddddd) quibus prævit hac in parte Dux & primipilus eorundem *Renatus des Cartes*, (eeee) tantam divinæ voluntati indifferentiam adscribens, ut nullum bonum vel verum, nullumve credendum vel faciendum vel omittendum fingi possit, cujus idea in intellectu divino prius fuerit, quàm ejus voluntas se determinârit ad efficiendum, ut id tale esset. (ffff) Rationes, quibus istud assertum incrustare conantur, magno numero collegit *Wittichius* (ggggg) ejusq; contra *Wittichium* (hhhhh) & *Petrum van Mastricht* (iiii) defensor *Petrus Allinga*. (kkkkk) Primum argumentum derivat *Wittichius* à perfectione divinâ, quæ periclitari videatur, nisi à Deo omnis realitas pendere dicatur, cùm aliud adhuc ens concipi possit, à cujus placito omnia penderent. At metus ille omninò vanus est, cùm & possibilis nulla sit propriè loquendo realitas, quæ dependentiam requirat. Involvit enim in suo conceptu carentiam existentia, cùm non-repugnantia, quæ in eo præcipuè consistit, quod res, de quâ enunciat, non involvit duo contradictoria, sive absque existentia, sive eâ suppositâ tanquam conditione spectetur. Quod autem de aliquo non possint duo contradictoria simul verificari, non ex beneplacito divino oritur, sed rei ex se convenit, neque ideo aliquid censetur esse possibile, quia à Deo fieri potest, sed ideo potest à Deo fieri, quia existentia rei in se non repugnat. Ut proinde rectè *Arriaga*: (lllll) In ordine ad inadæquatos nostros conceptus possumus concipere rem aliquam non dicere in se duo contradictoria, priusquam quicquam cogitemus de omnipotentia, (addo etiam de voluntate) Dei. Non majoris autem momenti est, quod à primitate, uti loquitur satis barbarè, & independentia divinâ petit *Wittichius*, quæ attributa prorsus labefactari judicat, si quid naturam & essentiam divi-

C

nâ

(ccccc) *Synops. part. 1. c. 22. §. 9. p. 122.* (ddddd) *Erot. Illust. 5. Decad. 9. p. 277. 278.* (eeee) *Resp. Sept. §. 6. p. 160.* (ffff) *conf. Cartes. part. 1. Epist. 112. 110. 115, & p. 2. Epist. 6. & 43.* (ggggg) *Theol. pac. c. 14. §. 199. p. 169.* (hhhhh) *Oeconom. lib. 1. c. 3. num. 18. p. 22.* (iiii) *Gangr. novit. Cartes. Sect. 2. c. 9. p. 252.* (kkkkk) *Erot. Illustr. p. 277.* (lllll) *Disput. 2. Metaph. Sect. 1. Subs. 1. num. 6.*



nâ voluntate priorem habere statuatur. Frustra enim istiusmodi periculum hîc fingitur, cum nostra sententia non sit, res aut actu existentes, aut certò futuras omnem liberæ voluntatis actum absque ullâ à Deo decretisque ejus dependentiâ antevertere, sed tantum de nudè possibilibus loquamur, quorum essentialè requisitum, videlicet non repugnantiam in signo rationis nostræ intellectum pariter & voluntatem divinam antecedere docemus. Neque hoc evertit primitatem Dei, cum Deus primus maneat, etiamsi non repugnantia nullam in suo formali actualem existentiam involvens, rebusq; ex se conveniens, prior in signo rationis voluntate Dei decernente concipiatur. Quod de propositionibus etiam, quæ de æternis quas vocant, essentiis, formantur, dicendum venit, in quibus nec supponitur aliquid actu existens, nec copula realem extremorum conjunctionem significat, quæ ipsâ Dei naturâ prior sit, sed hoc tantum indicatur, quòd prædicatum essentialè, præscindendo etiam à decreto divino, ita subjecto conveniat, ut subjectum sine illo esse nullâ ratione queat. Neque hoc ipso vis infertur divinæ independentiæ, cum voluntas divina neutiquam juxta nos statuatur dependere à rerum essentiis, tanquam motivo physico, uti putat *Poiretus*, (mmmm) quando liberrimè statuimus ad extra operari DEUM, neutiquam verò ex necessitate naturæ, ceu *Aristotelem* (nnnn) ferunt docuisse, sed si quæ dependentia, quanquam nec illud necesse sit, divino intellectui & voluntati tribuenda venit, tota erit objectiva, vel intellectualis, quæ nullam in Deo imperfectionem arguit. Ultimum argumentum, quod urget *Wittichius*, à definitione possibilis petitur, quòd in suo conceptu rationem causæ præsupponat, & per consequens eâ sit posterius, quid pro radice possibilis in voluntate collocandâ possit facere, non satis assequimur. Nititur nimirum hæc argumentatio hypothese nondum hæctenus concessâ, & à *Leidekero* (oooo) & *Gerardo de Vries* (pppp) profligatâ, voluntatem & potentiam in DEO formaliter esse idem, atque omne possibile potentiam tanquam causam suæ possibilitatis, præscindendo etiam ab actualitate futurâ, supponere, quod tamen probatum satis non est, cum utut connotatio potentiæ productivæ actualiter existentis ad physicum possibile completè & adæquatè percipiendum faciat, eique denominationem extrinsecam superaddat, in eo tamen intrinseca possibilitatis ratio non consistat, quæ, etiamsi nulla supponatur produ-

(mmmm) *Cogit. ration. p. 127.* (nnnn) *Conf. Molina in 1. Th. Q. 19. art. 4. Disp. 11. f. 257. & Slevogt. Disp. Acad. 10. p. 121.* (oooo) *in fac. verit. Loc. 4. p. 142.* (pppp) *in Exercit. Ration. p. 347.*

productivapotentia, nihilominus rectè per non repugnantiam ad existendum describitur. Quæ hisce recensitis rationibus superaddit *Allinga* (qqqqq) à bonitate, beatitudine & absoluto Dei dominio deprompta, parum roboris habent, eorumque futilitas ex dictis abundè constat, quemadmodum & pari facilitate absurda, quæ ex nostrâ sententiâ putat profluere, declinari possunt. Quòd enim modum Deo aut placito ejusdem à nobis poni existimant, falsum est, quin potiùs nos omnem à Deo imperfectionem studiosè tollimus, cum istam omnimodam & sanctissimo Deo indignam indifferentiam Gnosticorum indifferentismo planè similem rejicimus. Quod deinde doceri à nobis credit, in rebus esse quid, quod suam veritatem, bonitatem aut realitatem Deo aut ejus placito non debeat, hoc pariter ineptum est. Non enim de rebus actum entitativum consecutis sermo nobis est, sed de non existentium simplici non-repugantiâ. Etsi etiam quædam in rebus bonitas ex liberrimâ voluntate non profluat, è connexionione tamen & congruentiâ cum divinâ essentiâ, ejusque entitate & bonitate descendit. Denique quòd ex nostrâ sententiâ sequi arbitratur, eas res, quæ ipse Deus non sunt, sic Dei naturæ fore connexas, ut iis cum Deo competat eadem absoluta necessitas, nos neutiquam agnoscimus. Nam licet quædam enunciationes de æternis virtutibus necessario veræ, atque aliud necessario possibile statuatur, inde tamen absoluta necessitas, quæ Deo convenit, nulli alteri extrinseco tribuitur, sed soli divino Numini manet propria. Est enim ista essentialium necessitas tantùm negativè talis, hoc sensu intellecta, quòd essentialium non possint se habere aliter; divina autem necessitas positiva est, divinæque essentialium propter indefectibilem ejus existentiam adscribitur.

§. VIII. Tandem etiam circa potentiam divinam quædam expedienda restant, quæ etsi in nostris quidem scholis infinita, & extensive pariter ac intensive perfecta esse statuatur, docetur tamen communiter, eam non extendendam esse ad prædicata contradictoria, sive ex parte sui & in intrinsecâ suâ formalique ratione sint talia, sive ex parte agentis, & cum connotato certo dependentiæ modo, quo ad Deum referrentur, si existerent. Abeunt autem hîc in alia omnia Cartesiani. Expressè *Cartesius*. (rrrrr) Mihi non videtur, scribit, de ullâ unquam re esse dicendum, ipsam à Deo fieri non posse; cum enim omnis ratio veri & boni ab ejus omnipotentia dependeat, nequidem dicere ausim, Deum facere non posse, ut mons sit sine valle, vel ut unum & duo non sint tria; sed

(qqqqq) in *Erot. illustr. Dec. 9. Erot. 5. p. 278.* (rrrrr) *part. 2. Epist. 6.*

sed tantum dico, illum talē mentem mihi indidisse, ut à me concipi non possit mons sine valle. Itemque alibi (sssss) dico fuisse Deo æquè liberum facere, ne verum foret omnes lineas ductas à centro circuli ad peripheriam esse æquales, atque creare mundum. Quamquam autem hoc *ἐυρημα* excogitaverit *Cartesius* propter transsubstantiationis dogma & ad evitandam hæreseos apud suos suspicionem, ut non malè annotat *Maresius*; (tttt) sequuntur tamen præeuntem *Cartesium* & alterius religionis socii, præsertim *Wittichius* (uuuuu) *Allinga* (xxxxx) alique. Solus forte *Poiretus* (yyyyy) hîc diversum sentit, & Magistrum suum impugnat, nec immeritò. Tantum enim abest, ut ista assertio, Deum posse efficere, ut contradictoria sint simul, infinitati illius ritè agnoscendæ ac stabiliendæ inserviat, ut potius omnipotentiam Dei penitus evertat. Id quod facili negotio demonstrari potest, dummodo observetur eos, qui ad potentiam Dei pertinere judicant contradictoria, talem omnipotenti Deo adscribere vim ac efficaciam, quæ reverà potentia nihili est. Involvit enim res contradictoria talia prædicata, quorum unum tollit alterum, ut exinde ne concipi quidem intellectu possit. Ecquid autem aliud nihil est, quàm quod nec est, nec concipi potest? At enim, quæ potentia nihili est, reverà nulla est, cùm omnis potentia, omnisque potentia actuale exercitium ceu reale quid, realem etiam terminum, in quem tendat, requirat. Adde, quòd si hoc admitti debeat, nihil tam absurdum, tamque ab omni ratione alienum concipi aut statui à quoquam possit, quod non sub divinam potentiam cadat ceu idoneum ejusdem objectum, puouti hæc & alia *Cartesiano* Dogmati eruditè opposuit *Gerdardus de Vries* (xxxxx) quibus jungi possunt, quæ habet *Petrus van Mastricht* (aaaaa) & *Dn. D. Osiander*. (bbbbbb) Nobis interim hæc pauca, quæ ex *Metaphysicâ Cartesianâ* exercitii loco seligere placuit, à veriori *Philosophiâ* aliena, breviter examinasse sufficiat.

Θεῶ - μόνω δόξα.

(sssss) part. 1. Epist. 110. confer. resp. ad 6. Object. §. 6. part. 1. Epist. 115. (tttt) de abusu *Phil. Cartes.* §. 105. (uuuuu) *Theol. pacif.* §. 204. (xxxxx) in *Erot. illustr. Decad. 9. Erot. 7. p. 186.* (yyyyy) *Cogitat. Ration. Lib. 3. c. 10. Num. 21. p. 135.* (zzzzz) in *Dissert. de Contradictoriis Deo possibilibus. ad nex. Exercit. Ration. p. 336. seqq.* (aaaaa) in *Gangræn. Cartes. part. post. c. 11. p. 257. seqq.* (bbbbbb) in *Colleg. Confid. in dogm. Cartes. c. 6. Th. 1. p. 100. seqq.*

DD A 6307

ULB Halle 3
002 937 14X




82

V 17

Reho ✓







83. 352

Q. D. S.
RENATI DES CARTES
METAPHYSICAM
DIVINAM,

Disertatione Philosophicâ

examinatam,

P R Æ S I D E

DN. JO. CHRISTOPHORO
ROSTEUSCHERO,

Phil. Prim. & Pract. Professore Ordinario,
& Reip. Bibliothecario.

*Fautore suo & Studiorum Promotore æterno
animi observantissimi cultu suspiciendo,*

IN

ATHENÆ I GEDANENSIS
AUDITORIO MAJORI

Solenniori disquisitioni exponit

JOHAN. SAMUEL LAURENTIUS,

Berol. March.

AUCTOR & RESPONDENS.

D. XVIII. Decemb. A. O. R. M DC LXXXVII.

Horis matutinis.

DANTISCI, Typis DAVIDIS FRIDERICI RHETII,